

COLXV.

Anno 1790. die 2. Septembris. Budae.

Veto Bani Comitiss Joannis Erdödy de Acatholicis in Regna Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae non admittendis, in Comitiss Regni Hungariae dictum.

Siquidem occasione praesentium Comitiorum per Diplomaticum in merito Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum ab Inclytis Statibus et Ordinibus Regni Hungariae conditum Articulum id constitutum sit, ut memoratae Religiones ad Statum Pacificationum Linciensis et Viennensis reponantur et pro repositis ipso facto declarentur, quin ulla Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae facta fuerit exceptio:

Hinc, ne dictis Regnis, in quibus memoratae Augustanae et Helveticae Confessioni addicti nec Religionis exercitium, neque Possessionum capacitatem unquam habuerunt, ex supracitato II. Statuum Regni Hungariae Deciso imminere possit praejudicium, Ego, qua praerepetitorum Regnorum Banus, hisce declaro: me tam positivae Articulorum utpote 46. 1741, 23. 1687, 125. 1715 et 86. 1723 Diplomaticae quoque confirmatae Dispositioni, quam et Reversalibus Dominorum Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum, in Diaeta Soproniensi de Anno 1681 de se extradatis, firmiter inhaerere, ac in conformitate memoratorum Articulorum et Reversalium nullatenus consentire posse aut velle, ut Favores prae-libatis Dominis per supracitatum Articulum praesentis Diaetae concessi, ultra quam intra ambitum Regni Hungariae, adeoque huc non intellectis Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, extendantur. Et siquidem non obstante iterata tam mea, quam et Ablegatorum, ex Parte dictorum Regnorum ad hanc Diaetam exmissorum, interpositione, supradicti de Regnis his sonantes Articuli salvati haud essent, ad abolendum omne in Regnis Directioni meae creditis praejudicium (Juribus caeteroquin praelibatorum Regnorum sua via prospecturus), solemniter protestor et contradico praesentium vigore, petendo super hujusmodi Protestatione et Contradictione Authenticas Litteras Testimoniales extradari. Datum Budae die 2. Septembris Anno Domini 1790.

Comes Joannes Erdödy m. p.

Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae Banus.

(L. S.)